



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

Feria II. Pentec. Sic Deus dilexit mundum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

DOMIN. TOTIVS ANNI. 63

habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Considera, principē mundi, id est diabolum, qui est princeps omnium malorum nihil potuisse contra Christum, quia nullum in eo peccatū fuit, ut discas eundem minus iuris habere in te, quo purior à peccato fueris. 2. nota Christum loqui de mandato quod habuit redimendi nos per passionem: tantus enim amor fuit in illo obedientiæ, ut non solum voluerit pati pro nobis ex caritate, sed etiam optarit id sibi mandari. Vnde S. Bernard. ait, eum perdidisse vitā, ne perderet obedientiam. *Ad mil. templi c. 13.*

FERIA II. POST PENTECOST.

Sic Deus dilexit mundum. Ioan. 3.

Iesus dixit Nicodemo. (*Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*) Considera non vulgarem, sed ineffabilē fuisse dilectionē Patris erga nos, quod dederit nobis filiū suū. primò enim hoc ipso dedit donum infinitū, & quo maius dare nō potuit, quia dedit Deū, imò seipsum 2. ita dedit ut nō tantū homo haberet Deū; sicut angeli sancti habent Deū, sed

sed etiam homo sit factus Deus, omnipotens, sapientiæ & scientiæ infinitæ in Christo. 3. dedit eum mundo, id est, hominibus peccatoribus, suis inimicis. 4. dedit illis, ut pœnas quas luere debebant pro peccatis, in se susceperit, ut paupertatem, famem, sitim, flagella, mortem turpissimam. Quomodo autem tu tantum amorem rependes?

2. *Non misit Deus filium suum ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.* Considera immensam Dei clementiam & bonitatem, ut cum omnes homines à principio mundi nascantur in ira Dei, æterna damnatione digni, & inimici Dei, tamen ne unum quidem velit perire, & iudicari, id est, damnari, sed omnes cupiat saluari, & reuera primum autorem peccati Adamum protoplastum à salute non exclusit.

3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. erant enim opera eorum mala.* Considera, quod tam multi homines in mundo è tenebris, id est, à peccatis infidelitatis, & aliis non emergant ad lucem, id est, credant in Christum, vel Catholicam fidem suscipiant, non ei Dei voluntate accidere, quasi aliquos re-

pro-

S IN

DOMIN. TOTIVS ANNI. 65

probarit, vel sufficientia ad salutem auxilia non dederit, sed ex peruersa voluntate ipsorum. quia amant magis vel hæresin suam, vel pristinum viuendi modum. 2. considera, hominem esse causam sæpe impœnitentiæ, vt non resipiscat, quando tam diu se assuefecit malis operibus, vt callum obduxisse videatur.

FERIA. III. PENTECOSTES.

Ego sum ostium. Ioan. 10.

DIXIT Iesus discipulis. *Qui non intrat per ostium, fur est & latro: qui autem intrat, pastor est ouium.* Considera, ostium esse Christum eiusque doctrinam & vitam. ouile esse Ecclesiam, religionem, vel sodalitatē aliam piā, oues esse subditos vel discipulos, qui ab alio reguntur vel docentur, qui debent esse simplices, humiles, obediētes, & amore loci coniuñcti. Pastorem esse superiorem præfectum, magistrū. Fures & latrones, mundum, carnem & dæmonem, qui per ostium non intrant, quia docēt cōtraria doctrinæ, & vitæ Christi, vt occidāt animā & trahāt ad æternā perditionē.

Pastori ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim,

E **E** edu-